



**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio I. Quod objectum & quæ natura voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DICES I. Non produceret actum intellectus, habens motum non nisi scientificum, quem producit concurrente motivo opinativo Ergo non potest producere illum. Sine motivo opinativo Ergo debet elevari illud motivum.

RESPONSUM supra, motivum non producere actum, vel si illum producit, non producit illum tribuendo actui prædicata absoluta, sed connotativa, quæ ut dixi, & consistere secum possunt diversæ, & non indigent elevatione.

DICES II. Hic actus elicitus à duobus motivis, est actus scientiæ, hunc actum producit motivum opinativum Ergo producit actum scientiæ.

RESPONSUM, Jam est à motivis non produci actum, sed etiam si produceretur non convinceret argumentum, quia hic actus respicit motivum opinativum, non quia scientificus est. Videtur etiam posse inverti argumentum, actus visionis beatificæ est actus productus à potentia vitali; hunc actum producit Lumen gloriæ per modum potentiae, Ergo lumen gloriæ est potentia vitalis: sicut ergo hoc argumentum non tenet, quia lumen gloriæ non producit vitaliter actum visionis, nec ab illo est formaliter vitalis, ita actus qui simul est scientiæ & opinionis, ab opinione, non est scientificus formaliter.

DICES III. Esse propter motiva est aliquid intrinsecum actui, Ergo non potest duo intrinseca motiva habere.

RESPONDETUR. Esse propter motivum est quidem intrinsecum actui hoc est non aliquid illi superadditum connotativum tamen, non repugnat autem uni eidemque rei multiplicatas connotatorum.

ASSERO V. Ad actum elicitum ex duobus motivis non concurrunt habitus scientiæ & opinionis aliis præhabiti.

RATIO, quia habitus ad illorum actuum productionem concurrunt, qui similes iis, à quibus illi habitus sunt producti, sed actus ex duobus motivis scientifico v. gr. & opinativo, non est similis iis, quæ generant scientiæ & opinionis habitum, certe enim specie distinguuntur actus ex duplici motivo habiti, ab actibus habitis ex uno non nisi motivo, & sicut alius est habitus Conclusionum, & alius præmissarum, quantumvis nihil sit in Conclusionem, quod non fuerit in præmissis, ita & alius erit habitus actuum proficiscientium ex duplici motivo, ab actibus proficiscientibus ex uno motivo. In non paucis tamen præcontenti habitus, hoc est habitus scientiæ tantum, & habitus opinionis tantum, deservire poterunt.

DISPUTATIO V.

De Voluntate & Volitione in Communi.

Explicabimus eadem Methodo voluntatem quæ intellectum, à Consideratione ut sic, ad divisionem actuum voluntatis descendendo.

QUÆSTIO I.

Quod objectum & quæ natura voluntatis?

EX dictis de intellectu facile conicere est, voluntatem non esse distinctam ab anima, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate urgentque argumenta aliis proposita. Solvenda restant aliqua argumenta à recentiori Suarez opposita.

DICES I. Cum eodem. Intellectus & voluntas, feruntur in objecta validè diversa, qualia sunt verum & bonum. Modus item operandi est maximè diversus, nam modus operandi intellectus, est assimilativus. Et attractivus objecti, voluntas autem attrahitur ad objectum,

Ergo & principia, hoc est, Intellectus & voluntas sunt distincta.

RESPONDETUR. Si non plus, saltem æquè distincta sunt albedo & nigredo, quàm bonum & verum, & tamen possunt ad eandem specie potentiam visivam pertinere. Rursus alio modo procedit intellectus informanda simplici apprehensione, alio in formanda enunciatione, alio denique in formanda illatione. Rursus, alio modo se habet ipsa voluntas in amando, facit enim prosecutivè & cum suavitatè, alio in odiendo, facit enim hoc fugiendo, & cum amarore, & tamen modi hi non arguunt distinctionem formalem. Ergo ex præcisè diversitate objectorum, & modorum tendendi, non rectè arguitur distinctio realis, sed illam probat vel experientia separationis vel ratio pro illa. Ad diversitatem autem illorum modorum agendi salvandam, sufficit ponere distinctionem realem, in ipsismet actibus.

DICES

DICES II. Intellectus dirigit voluntatem, & hæc sæpius imperat & resistit intellectui. Ergo cum sint hæ potentie limitatæ, realiter distinguuntur.

RESPONDETUR. Dirigit seipsum intellectus præscribendo sibi regulas operandi, indicat Intellectus seipsum errasse, contradicit propositionibus quas affirmarat, & tamen hæc omnia, non arguunt distinctionem realem ipsius intellectus à se, sed tota distinctio, est, non nisi penes actus. Ergo similis directio intellectus, voluntatem dirigentis, itemque imperium, quo voluntas imperat intellectui, non arguet distinctionem realem potentialium, sed non nisi actuum.

INSTAT I. Sicut ejusdem est virtutis amare bonum & fugere à malo, sic ejusdem est potentie assentiri & dissentiri.

RESPONDETUR. Si assentiri & dissentiri, amare & odire possunt ad eandem potentiam spectare, ut contrariorum sit eadem potentia, cur non idem dici potest de amare & intelligere, ita ut sit eadem potentia præsentare amplectendum, & amplecti præsentatum.

INSTAT II. Idem. Ideo assensum & dissentium ab eodem principio eliciuntur quia conveniunt in ratione representationis. Amor autem & cognitio, habent inter se rationes, maxime oppositas.

RESPONDETUR. Esse actum spiritualem, verantem circa objectum, convenit & amori & cognitioni, quæ ratio, ita est illis generica representatio, ad tres operationes, cur ergo sicut tres operationes ob convenientiam in dicta ratione generica, ad eandem potentiam spectant, non poterit etiam intelligere & velle ad eandem realiter entitatem potentie spectare. Quodque non representet quidquam volitio, representet intellectio, sufficit esse distinctionem realem in ipsis actibus.

DICES III. Impossibilis est nasus, qui simul à parte rei sit oculus, sin minus, ille nasus videret & odoraretur quod est supra spheram nasi.

RESPONDETUR. Si sit quæstio de naso & oculo formaliter acceptis, hoc est pro potentia odorativa & visiva, per nos, aliæ identificantur, si autem quæstio procedat de naso materialiter sumpto, hoc est pro organo ita constructo, licet organa qualia dantur, repugnet, ut secum identificentur, non repugnat tamen aliud organum unum, licet specie à præsentem distinctum, quod & videat & oderetur; ad eum modum, quo sensus Communis percipit objecta partiali-

um sensuum, in organo, aliam longè constructionem, habente.

INSTAT I. Impossibilis est qualitas, quæ eadem à parte rei sit cognitio, & appetitio, Ergo etiam repugnabit potentia, quæ à parte rei sit cognoscitiva & appetitiva.

RESPONDETUR. Posse aliquem dubitare de Antecedente, propter Instantias, quas tangit ipse Suarez, nam idem actus in Conclusionem negativa est affirmativus seu approbativus præmissarum reprobativus, autem seu negativus ipsius connexionis, inter prædicatum & subiectum Conclusionis, actus item Contritionis, est fuga peccati, & prosecutio DEI; nec inde sequetur de facto etiam dari actum qui sit simul cognitio & appetitio, quia pro illa priori stat experientia non stat pro posteriori. Sed negatur interim argumento Consequentia. Disparitas est, quia plura possunt colligi in potentia, quam possint colligi in ipsis actibus, & ita potentia visiva colligit in se visivam omnium colorum, tamen non inde sequitur, visionem unius caloris, esse visionem omnium calorum: Deinde non tenet Consequentia ab implicantiæ unius ad implicantiæ alterius, si non ostendatur, commune utriusque principium; quod hic non ostenditur.

INSTAT II. Impossibilis est entitas, quæ à parte rei sit substantia & accidens physicum, homo & brutum, rationalis & irrationalis, Ergo etiam impossibile est eandem potentiam esse intellectum & voluntatem seu potentiam cæcam & videntem.

RESPONDETUR. Confirmiter ad dicta, quod ab implicantiæ unius, non sit argumentatio, ad Implicantiæ aliæ, nisi ostendatur principium implicandi commune. Rursus retorquetur argumentum quod sicut non potest esse eadem entitas quæ sit substantia & accidens, ita non possit esse eadem entitas, quæ sit potentia assensus & dissensus: Disparitas etiam assignari potest, in casu antecedentis esse implicantiæ, quia implicat stare in se, quod est substantia, & non stare in se, sed in alio, & sic de reliquis proportionatè. Quæ implicantiæ non est contra potentiam elicitivam actuum notificativorum, & elicitivam actuum non notificativorum nisi sit multum probans, adeoque nihil.

INSTAT III. Eadem Entitas non potest constitui diversis oppositis differentiis non subalternatis. Ergo neque potest dici, eandem potentiam, esse intellectivam volitivam.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum, quo probat, non posse esse eandem entitatem acclive & declive, non posse eandem speciem

ciem in Angelis esse representativam hominis & plantæ. Hinc Antecedens nisi ulterius explicetur negandum est, aut ad maximum procedit, de differentiis, quæ sint specificativa intrinseca, non autem de differentiis quæ sint specificativa extrinseca.

DIFFICULTAS I.

An Solum Bonum moveat voluntatem?

DICENDUM EST I. *Posse esse actum fugæ formaliter non nisi propter malitiam, adeoque non solum bonum movere formaliter voluntatem.*

PROBATUR. I. Quia nullum est fundamentum asserendi, non posse nos simpliciter odisse, sine ullo formali amore oppositi, ut patebit solutione objectionum.

PROBATUR II. Possibile est, ut proponatur solum non nisi malum quia tale, & non proponatur ullo modo bonum, possibile item est ut DEUS faciat Decretum concurrenti non nisi ad odium mali, conceptum ex sola malitia intrinseca illius, consequenter decernendo quod nullo modo esset concursurus ad amorem boni oppositi, sed tunc versabitur voluntas circa malum non versando circa bonum. Ergo, non solum bonum formaliter, movet voluntatem.

Prima Propositio, in qua est difficultas, probatur. Tum quia nullum est fundamentum asserendi, quod prædicta fieri non possint; Tum quia malum in circumstantia considerata bonitatis oppositæ, movet ad actus detestationis, Ergo & sine circumstantia illa movere poterit, nam circumstantia illa non tribuit malo quidquam, ratione cuius mereatur actus detestationis, malum enim seipso malum est sicut & oppositio cum calore, non tribuit frigori frigus. Ergo & sine illa circumstantia boni oppositi, malum erit, adeoque habens meritum, non nisi actus detestationis. Quod si sine ulla circumstantia boni oppositi, potest movere malum ad actus detestationis. Ergo non solum bonum movet voluntatem, tum quia prius est aliquid esse malum in se, quam esse oppositum bono, priora enim sunt absoluta relativis, esse autem oppositum bono, est aliquid relativum, esse autem malum in se, est aliquid absolutum. Deinde non ideo aliquid est malum, quia est oppositum bono, sed idem est oppositum bono, quia est malum, sicut non ideo gelu est frigidum, quia oppositum est calori, sed ideo oppositum est calori, quia est frigidum. Quod si prius non esse malum, quam esse oppositum bono. Ergo per prius est detestabile quam quod sit oppositum bono, Ergo pro illo priori, cum non supponatur habere meritum actuum prosecutionis, poterit pro illo priori, ex merito suo, terminare actus detestationis. Quod ipsum sic proponitur. Voluntatem moveretur ad detestandum malum, ex eo,

quia opponitur bono, Ergo multo magis movebitur ad id detestandum, propter quod opponitur bono. Ergo multo magis detestabitur, id, quod pro priori, antequam censetur effluere illa oppositio ad bonum, est radix illius oppositionis; non est oppositio bono, hæc enim est quid consequens, Ergo neque detestabilitas, pro illo priori considerati mali, erit detestabilitas propter oppositionem bono, Ergo illud malum independentem ab oppositione, detestari poterit voluntas. Supponit hoc argumentum quod radix oppositionis ad bonum sit detestabilis, imò detestabilior ipsa oppositione, quia radix oppositionis & suam malitiam continet absolutam, & simul virtualiter continet oppositionem bono, & sicut in linea rationalis, quod est radix risibilitatis, magis est principale, ita & in linea mali, radix oppositionis bono, magis erit principalis.

PROBATUR III. Tum quia non ideo movetur bonum ad sui amorem, quia est oppositum malo, Ergo nec ideo movebitur malum ad sui detestationem, quia opponitur bono; Tum quia experimur diverso modo se habere voluntatem dum amat, nam tunc suavis quædam & delinimentum in voluntate capitur, & diverso modo se habet voluntas, dum odit, non ergo semper amamus oppositum cum elicimus actum odii. Tum quia licet, eadem virtus inclinet ad bonum, & ad fugiendum malum, sufficit quod possit inclinare, sed non est necesse, ut in omni actu formaliter inclinet. Per hoc tamen non negamus, fieri posse, ut interdum detestemur malum ex oppositione cum bono, sed dicimus, non semper hoc formaliter propter talem oppositionem fieri.

DICENDUM EST II. *Omnem actum perfectionis esse virtualiter actum detestationis, & omnem actum detestationis, esse virtualiter actum prosecutionis.*

PROBATUR. Quia qui detestatur malum, eo ipso paratus est amare bonum oppositum. Ergo illa detestatio, est virtus, in qua continetur processus ad actum alium, qui sit amor boni.

Aliam rationem assignat Lugo. Quia inter extrema contradictorie opposita, accessus ad unum, est recessus ab altero, & e contra, recessus ab uno, est accessus ad alterum, idem ergo erit accedere ad tenebras, per amorem tenebrarum, ac recedere à Luce, quam tenebræ negant. Responderi posset quod recessus ab uno extremo sit accessus ad aliud extremum in accessu materiali, non autem in accessu intentionali. Disparitas est, quia aliàs non posset esse recessus per odium, quin fiat formaliter per amorem accessus, sicut impossibilis est recessus materialis, quin sit formalis accessus, & certe cum eadem entitas sit accessus & recessus in materialibus, non potest esse materialis accessus, quin sit recessus materialis, bene tamen poterit esse recessus intentionalis, sine accessu intentionali, quia

hæc

hæc duo non sunt formaliter eadem entitas.

DICENDUM EST III. *Objectum voluntatis ut sic, est ratio volibilis. Communis ad malum & bonum.*

PROBATUR I. Quia unaquæque potentia, diversa objecta attingens, pro objecto Attributionis unum aliquid habet, & ita ratio colorati, est ratio una ad quam attendit visiva Ergo, & voluntas, debet habere objectum tale attributionis, sed hoc non aliud est, quam volibile, quod enim aliud? Ergo.

PROBATUR II. Quia tam de actibus prosecutionis verum est dicere versantur circa volibile prosecutionis, quam de actibus detestationis quod versantur circa volibile detestationis. Ergo ratio volibilis, est ratio Communis utrique quam rationem cum nulla alia potentia sibi appropriet, appropriabit voluntas & cum non possit appropriare tanquam aliquid particulare est specificum, appropriabit tanquam rationem Communem.

PROBATUR III. Actus omnes conveniunt in hoc, quod sint volitivi ut quo, Ergo & objecta conveniunt in hoc quod sint volibilia ut quod, debet enim esse, proportio inter actus & objecta; Quod si objecta conveniunt in hoc, quod sint volibilia, hinc sic Urgetur in quo conveniunt omnia objecta alicujus potentia, illud ipsum in quo conveniunt, est objectum illius potentia, quod probat Inductio & requirit unitas potentia, Ergo cum objecta voluntatis omnia conveniant in ratione volibilis, volibile illud erit objectum.

Tamen ut volibile dicatur esse objectum voluntatis, non debet accipi, prout opponitur nolibili, aliis actus nolendi, qui sunt per modum fugæ excluderentur à voluntate, illorumque objecta, sed debet accipi tanquam quid commune ad utrumque sicut & voluntas sit quid Commune etiam ad noluntatem. Quo item sensu ipsum volibile debeat accipi, ut ostendatur, quod sit objectum voluntatis, dictum supra, ubi de objecto Intellectus.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur objectiones.

Contra Conclusionem primam.

OBJICITUR I. Inter actus intellectus, dissensus, quin sit assensus, Ergo neque potest esse fuga, quin sit prosecutio, adeoque nec potest esse odium, quin sit formaliter amor. Minor probatur, quia negare v.gr. quod Petrus non sit rationalis, est asserere, quod sit rationalis.

RESPONDETUR. Si omnis propositio negativa est formaliter affirmativa, cujus usus erit, divisio in propositionem affirmativam & negativam. Item poterit ex tribus negativis universalibus recte fieri Conclusio, quia etiam recte infertur ex tribus affirmativis universalibus. Probatio hoc solum evincit, dissensum esse virtuali-

ter & implicitè assensum, sed non formaliter & explicitè.

INSTABIS I. Ille qui negat hominem esse lapidem, negationem illam non negat sed affirmat. Ergo ille actus, non est merè dissensus, sed etiam assensus. Ergo & actus detestationis non solum est detestatio, sed etiam prosecutio.

RESPONDETUR. Negationem illam nec affirmari nec negari, quia illa negatio non est objectum, sed ratio versandi circa objectum, sola autem objecta sunt, quæ affirmantur vel negantur. Deinde quamvis hoc sensu concedatur, actum negandi, esse actum affirmandi, quod negatio illa non negetur; Sed non hoc sensu, quasi circa ipsum objectum, de quo procedit negatio, non possit versari intellectus negando, quin simul versetur circa oppositum illi objectum affirmando. Quod autem in actu negativo non negetur negatio, hoc inde est quia si negaretur negatio, hoc ipso non jam negatio sed affirmatio esset; duæ enim negativæ faciunt unam affirmativam. Poterit autem saluari quod actus negativus, sit actus negativus, quantumvis nihil affirmet de opposito.

INSTABIS II. Actus honestatur ex objecto Ergo ut sit actus bonus, debet habere pro objecto bonum. Ergo etiam ut actus detestationis sit honestus, debet habere pro objecto bonum.

RESPONDETUR. Si ut sonat accipiat Antecedens falsum est, quia probaret odium DEI esse bonum, versatur enim circa DEUM bonum, ut ergo verum sit Antecedens, hunc sensum facit. Actus honestatur ex objecto, si fiat secundum merita objecti, sed hoc etiam detestationis actus habet, quia versatur circa objectum quod est malum, secundum merita objecti, hoc est fugiendo illud. Vel certe actus honestari ex objecto verum tantum est, de actibus prosecutionis non verò de actibus fugæ.

OBJICIT II. Recetior Suarez, Finis est id cuius gratia aliquid fit, sed voluntas non fugit à malo amore ipsius, sed amore boni contrarii, Ergo ab hoc & non à malo finalisatur.

RESPONDETUR. Ly cuius gratia, non debet sumi pro amore sed pro merito, ita ut sensus sit: Finis est, cuius merito, vel quo movetur fit aliquid, quo casu, etiam malum, erit id, cuius merito, elicitur actus detestationis.

Porro dum malum & bonum movet, conveniunt in hoc: quia utrumque est ratio motiva, conveniunt in hoc, quia finis, respectu sui in executione ponendi, non habet effectum distinctum realiter, non enim distinguitur finis intentione, à seipso in executione. Sed in hoc disconveniunt: quia dum movet finis, qui est bonum, ad media, media illa producant aliquid reale, nempe illud, quod erat ratio motiva & finalisativa, jam autem media, ad quæ conformiter ad suam conditionem, malum laudabiliter movet, non producant malum, sed impediunt ne ponatur, & ita detestatio impedit, ne ponatur malum.

INSTA-

INSTABIS. Actiones specificantur à Termino ad quem, sed in actu fugæ Terminus à quo est malum, Terminus ad quem, est bonum. Ergo à bono specificabitur fuga.

RESPONDETUR. Imprimis, quod tantum actiones prosecutionis, specificentur à Termino ad Quem. Deinde actiones specificantur à termino ad quem, si sit & supponatur esse Terminus ad quem, sed nego in omni actu fugæ, esse Terminus ad quem, ipsum bonum. Dico ulterius, per actus fugæ formaliter recedi à Termino à Quo, non accedi autem formaliter sed non nisi æquivalenter ad Terminus ad quem, & quamvis non possit in progressu materiali (ut dictum etiam supra) recedi à termino à quo, nisi accedatur formaliter ad terminum ad quem, potest tamen recedi intentionaliter à malo, & non accedi formaliter ad bonum. Ratio quia hoc ipso quod recedatur materialiter, non potest non accedi aliquo & ubicunque sistas, est Terminus ad quem, consequenter sisti poterit in actu fugæ, quæ sistentia, non sit sistentia in bono, tanquam in Termino ad quem.

INSTAT Idem. Dissensus intellectus, non est propter falsum sed à falso, Ergo & fuga voluntatis, non est propter malum sed à malo.

RESPONDETUR. Dissensum Intellectus, non solum esse à falso, sed etiam propter falsum, quia ratio motiva dissensus, est id, quod est reddibile, tanquam ratio dissentendi; potest autem pro ratione dissentendi reddi, quia objectum est falsum, adeoque falsitas, esse ratio motiva, propter quam dissentiat.

OBJICITUR III. ex Amico Tomo Tertio. Disputatione quarta, sectione prima, Nequit voluntas detestari malum, nisi cognitum, & disconveniens proprio supposito; Ergo nequit malum fugere, nisi mota à bono, cui malum adversatur.

RESPONDETUR. Negando imprimis Antecedens: Nam DEUS dignus est amore propter se solum, & non propter Convenientiam adamantem. Rursus quantumvis homo nihil cogitet, malum sibi esse, ulcerosum fieri, tamen ex conspectu ulceris, concipit horrorem. Ergo fieri potest, ut exeat in actum fugæ, non attendendo, quod carere illo ulcere, sit conveniens supposito. Deinde non tenet etiam Consequentia, quia in presenti non quaeritur: an possit voluntas detestari malum, non attendendo ad bonum, quod habeat rationem finis Cui, sed de bono, quod habeat rationem Finis Qui; Jam autem Antecedens, procedit de Fine Cui, Consequens de Fine Qui.

INSTAT I. Idem. Ab illo objecto movetur principaliter potentia, ad quod principaliter ordinatur, sed principaliter, ordinatur ad bonum. Ergo principaliter ab illo movetur.

RESPONDETUR. Si Ly principaliter supponat pro nobiliori, conceditur hæc principalitas bono

in ordine ad actus. Si autem Ly principaliter supponat pro adæquato, negatur hæc principalitas bono, & sicut in Physica principale objectum hoc est dignissimum, est homo, non tamen omnes actus Physicæ referuntur ad notitiam hominis, ita nec referentur omnes actus ad bonum relatione formali & explicita.

INSTAT II. Idem. Nulla potentia operari potest nisi mota à proprio suo specificativo at proprium specificativum voluntatis est bonum, ut commune fert Axioma. Ratioque est quia voluntas est quidam appetitus, omnis autem appetitus specificatur ab aliquo bono, quod bonum respectu voluntatis est bonum suppositi.

RESPONDETUR. Negando minorem ob dicta supra. Quod attinet ad axioma illud procedit de bono, quod semper directe vel in directe attingatur, sed non de bono quod debeat semper directe attingi in omni actu voluntatis.

INSTAT III. Idem. Malum cum sit contrarium & destructivum boni, non potest specificare potentiam, quia hæc non specificatur ab oppositis & sic visiva non specificatur, nisi à visibili, ab eoque solo non nisi mota procedit in actum.

RESPONDETUR. Quia malum est destructivum boni, sed non est destructivum potentie, hinc si aliunde non impediatur, potest specificare potentiam; Et licet potentia ab oppositis specificari non possit si illa non conveniant in ratione Communi; objecti illius potentie, ut non conveniunt visibile & non visibile intra Potentiam visivam; possunt tamen opposita specificare potentiam, si conveniant in eadem ratione objecti communi, ut conveniunt assensus & dissensus. Quando autem dicitur omnes actiones esse propter finem, cumque solum bonum sit finis, propter hoc ipsum omnes actiones voluntatis esse propter bonum, id etiam non convincit, nam omnes actiones esse propter finem, hunc sensum facit: quod scilicet nulla media adhibeantur, nisi propter motum, quo finis movet; hinc etiam ad hunc finem qui est fugere malum, adhibentur media non nisi amore finis, qui est, fugere malum, sed non habet hunc sensum: quali nulla sit actio, quæ formaliter non intendat ponere id à parte rei, à quo movetur. Unde poterunt actus detestationis moveri à malo, nec tamen intendere positionem illius mali, à parte rei.

Mastrius disputatione septima, numero nonagesimo quinto putat esse probabile, quod objectum voluntatis, sint ens in sua latitudine sumptum.

Hinc OBJICIT IV. Appetitiva debet adæquari in objectis, sphaera, suo cognitivo. Ergo cum objectum intellectus sit ens, etiam objectum voluntatis, erit ens.

RESPONDETUR. Debet appetitiva adæquari in objectis, sphaera, modo sibi proportionato, vestita, sed non debet adæquari, quali formale est.

lius non deberet esse distinctum à formali nosciti-
ua, aliàs neque esset distinctio noscitiua & ap-
petitiua.

OBJICIT QUINTO. Idem voluntas est per-
fectior intellectu, Ergo non debet coarctari ad
minorem, sphaeram objectivam, eique tribui
imperfectius objectū, quod fieret, si poneretur
objectum adequatum intellectus, Ens, Entis
autem passio, voluntatis esset objectum, nempe
bonum.

RESPONDETUR. Imprimis non esse certum,
quod voluntas sit perfectior intellectu; hoc cō-
cesso, negabit communis sententia, ipsum ens.
Sub ratione entis esse objectum Intellectus
sed sub ratione veri, si autem voluntas est per-
fectior, dicetur etiam bonum esse perfectius at-
tributum præ vero; & quantumvis diceretur
objectum intellectus esse ens, voluntatis bo-
num, si modo meliori versetur voluntas, quam
intellectus circa suum objectum, ratione modi
versandi melioris, melior erit volitiva. Et sicut
visio beata, quæ versatur circa Deum, melior
est quam Metaphysica quæ versatur circa ens
qua ens. Quia visio, versans circa restrictum
objectum, aliunde id supplet, ita & suppleret
voluntas. Quod autem dicit Maffrius, suffi-
cere ut Ens objectum voluntatis, sit bonum vir-
tualiter & fundamentaliter, id non convincit;
quia formali etiam proprio, distingui debet à
formali proprio intellectus, sicut & ipsa poten-
tiæ habent suum formale aliud.

Punctum Difficultatis 3.

*An malum quàm malum, itemque indiffe-
rens, possit prosequi voluntas?*

DICENDUM EST I. *Malum quàm malum, si
ulteriori ratione boni vestiatur, posse termina-
re actum prosecutionis.* Probat quia potest
aliquis mortem apprehendere tanquam ma-
lum, & ideo quia mala est, velle illam inimi-
co. Quod autem illo casu velit malum qua
malum, hoc inde probatur. Ille vult malum
qua malum, qui vult malum sub motivo detesta-
tionis, sed volens mortem inimico, vult id mo-
tivo detestationis, tam terminatæ ad objectum
malum, quod nisi detestaretur, sed potius pro-
sequeretur, non vellet inimico, quam motivo
detestationis, terminatæ ad inimicum, quem
nisi odisset, hoc illi malum non appetiisset. Er-
go debet tunc moveri à malo, quàm malum est.
Quod autem ulterius illud malum quàm malum
vestiatur ratione boni. Ratio est, Quia nisi
hoc apprehenderet tanquam bonum ut inimi-
cus illo malo affligatur, noller illud optare ei-
dem, prosequique optando. Idem videre est
cum ex duobus malis minus eligitur, tum enim
minus malum vestitur ratione boni. Item

cum aliquis se vult occidere sub prætextu boni
v. gr. vitandi tædii, quod habet in vivendo.

DICENDUM II. *Malum quàm malum, non vesti-
tum ulla ratione boni, non posse terminare actum
prosecutionis.* Est Conclusio Communis, sed
inquirenda ratio illius efficax.

RATIO I. est Oviedi. Quia Intellectus non
potest assentiri falso. Ergo nec voluntas profe-
qui malum.

RESPONDERI POSSET, hanc probationem fo-
re bonam si adferret utrique potentiæ funda-
mentum commune. Posset etiam negari conse-
quentia, eo quod malum, possit extrahi ad
objectum prosecutionis sub formalitate boni,
non enim discernit voluntas, an hoc sit appa-
rens bonum, sed hoc pertinet ad intellectum;
cum tamen intellectus non possit sibi ipsi ex-
trahere objectum falsum, ut sciens illud esse
apparens verum, nihilominus assentiat, pro-
ponatque illud ut verum, quamvis sciat illud
esse falsum. Jam autem voluntas movetur
malo, quod tamen scitur apparenter tantum
esse bonum, cumque intellectus sit potentia
necessaria, voluntas autem potentia libera, re-
stabit quærere, cur hac Libertate sua uti non
possit ad volendum malum quàm tale?

RATIO II. Eiusdem est. Quia nemo potest
affectu odii prosequi Personam, si in illa indigni-
tatem non reperit, ob quam illam personam
oderit.

RESPONDETUR. Quod hæc ratio petat prin-
cipium, de hoc enim ipso quæritur, cur odisse
non possit aliquis, talem personam.

RATIO III. Ex Amico. Voluntas est ap-
petitus naturæ rationalis, ad expectanda ea, quæ
sunt naturæ propriæ convenientia, & repudien-
da ea, quæ sunt disconvenientia. At malum est
naturæ propriæ disconveniens. Majorem pro-
bat. Quid non potest exigere natura. Potenti-
am, quæ inclinet ad destructionem sui.

RESPONDETUR. Demus quod malum quàm
malum est, non possit appetere voluntas suæ na-
turæ, sed cur simpliciter, sine respectu ad natu-
ram suam, sed per respectum ad naturam alie-
nam, amare malum non poterit. Rursus is qui
se occidit ex malitia, vult sui occisionem, volun-
tate, quæ inclinet ad destructionem sui. Ergo
ex hoc principio, quia non potest dari voluntas,
quæ inclinet ad destructionem sui, urgeri non
potest, quod dari non possit mali quàm mali pro-
secutio.

RATIO IV. Ex Pontio est. Quia voluntas
non potest amare indifferens quàm indifferens.
Ergo multo magis non poterit amare malum
quàm malum. Nam indifferens non habet per
quod impediatur amorem, ut impedit malum.

RESPONDERI POTEST. Negando Antece-
dens ipsumque illud indigere Probatione. Hinc
aliter

PROBATUR CONCLUSIO. Quia experimur
† (S) 22

in nobis quod malum quā malum sine palliatione per formalitatem v. gr. sibi utilis boni, si malē alter habeat, sine hac inquam palliatione nemo amet. Deinde & prosequeretur tunc temporis voluntas malum, & non prosequeretur. Prosequeretur quidem ut supponitur, non prosequeretur autem, quia prosecutio definitive est appetentia boni, quid enim est aliud? Denique quod pro ratione formali actuum prosecutionis semel adfertur, illud quoties non reperitur, toties nec reperietur actus prosecutionis, sicut quod pro ratione formali hominis semel adfertur, ubi defuerit, non erit homo. Quod infundatur in hoc, quod scilicet rationes formales, sint constitutivæ rerum, quarum sunt formalitates, adeoque illarum negatio, erit negatio constituti, sed pro ratione formali prosecutionis, vel semel adfertur ratio boni, ut si quærat, quare amemus Deum, respondebitur quia est bonus. Ergo ubicunque deerit ratio boni, deerit etiam ratio appetentiæ.

Quod attinet ad objectum indifferens quā tale.

ASSERO I. Si nomine objecti indifferents veniat objectum, neque bonitatem ullam, neque malitiam ullam continens circa tale indifferens, non potest versari voluntas.

RATIO. Quia nihil invenit circa quod versari potest. Non enim potest alios actus exercere nisi prosecutionis, qui sunt ad bonū, vel fugæ, qui sunt ad malum; jam autem indifferens; neque est bonum neque malum. Caterum si indifferens objectum, vestitur ratione boni vel mali, poterit illud attingere voluntas.

ASSERO II. Circa objectum indifferens ut vocant præcisive seu circa objectum, quod potest esse bonum & malum, potest versari voluntas.

RATIO. Quia adhuc tunc reperiet sibi proprium objectum, de quo supra.

ASSERO III. Circa bonum quod neque habeat rationem finis neque medii potest versari voluntas. Ita Mastrius disputatione prima num. 3. contra Cajetanum Medina, Vasquez, Salaz.

RATIO I. EST. Quia datur ratio Communis boni ad bonum finis & bonum mediorum, nam de utroque dicitur quod sit bonum. Ergo datur & ratio Communis appetibilis, nullum enim est appetibile, sine appetitivo.

RESPONDEBIS I. Illud bonum Commune, cum non propter aliud, sed propter se amatur, hoc ipso amatur ut finis.

CONTRA. Bonum Commune amatum, participat quidem in hoc similitudinem cum amore finis, quia non propter aliud amatur, sed non habet in hoc similitudinem, ut moveat ad media, quod tamen formaliter rationem finis quā talis.

RESPONDEBIS II. Ex Mastrio, hanc doctrinam supponere, quod bono illi communi competat appetibilitas propter se, cum tamen possit

voluntas amare aliquid objectum præciscens à rationibus propter se, & propter aliud.

CONTRA. In dubio datur ratio Communis boni, ad bonum propter se, & bonum propter aliud, quia tamen etiam bonum ita præciscens dum amatur, non amatur propter aliud, nam ex his Contradictoriis amatur propter aliud, non amatur propter aliud, si affirmativa est vera, corrumpit intentum adversariorum. Si negativa, stat nostrum intentum, cum nos per amorem illum boni propter se, non plus intelligamus. Unde amari propter se negativè ut ita dicam, spectat ad rationem illam communem, amari autem positive propter se, & sub ratione positiva propter se, competit bono restricto.

RESPONDET III. Vasquez Negando dari rationem communem, bono honesto, jucundo ut ibi.

CONTRA. Quia quidquid sit an detur ratio illis communis univoca, saltem datur ratio communis analogæ, & quia rationes analogæ, per nos, habent conceptum perfectum unum, cur ad rationem. Illius boni etiam ita analogam, in quantum habet conceptum perfectè unum, non poterit terminari amor, cum de omnibus illis, prædicetur vere quoad rem, Ratio boni, neque enim bonum de illis dicitur ac Ly canis, de sidere & animali.

RATIO II. EST. Potest Intellectus apprehendere Terminus, non tantum ut est pars compositiva propositionis, sed stando in illo; potest item enunciare propositionem, & non versari circa illam, ut est præmissa & pars compositiva syllogismi: Ergo & voluntas poterit versari circa bonum, non tantum ut habet rationem finis vel medii, sed etiam secundum se, volendo illud.

RATIO III. EST Mastrii. Conjugatus per modum simplicis complacentiæ amat bonum castitatis, nec movetur ad eligenda media, quibus illud bonum assequatur, potest item illud bonum castitatis amare sub ratione boni utilis, ita tamen, ut non eligat illud, tanquam medium ad aliquem finem, Ergo potest aliquod bonum amari abstrahendo à ratione medii & finis.

Proponende restant objectiones quæ probant malum quā malum posse amari.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. Si malum quā malum est, non potest amari, non potest fieri meritum, & demeritum, quia si proponatur intellectui, occidere malum est, vel potest illud voluntas velle vel non potest; si non potest: Ergo non potest demereri, si potest, Ergo potest amare malum quā malum.

RESPONDETUR. Ad rationem demeriti sufficere voluntatem mali apparentis, licet vestiatur formalitate boni, v. gr. vindictæ apprehensæ, tanquam bonæ.

IN-

INSTABIS I. Nisi dicatur oppositum, non poterit salvari distinctio peccati commissi ex malitia, ab aliis peccatis.

RESPONDETUR. Hanc distinctionem desumi ex eo, quod peccetur cum plena advertentia, & tamen non instigante excessivè appetitu sensitivo. Rursus quia in peccato ex malitia intenditur ipsamet formalis malitia relucens sub formalitate mali, vestiti tamen ratione boni, ut faceret qui blasphemaret ex malitia, eò quod blasphemiam sit malum extrinsecum Dei, & ipse appetit hoc malum, irrogare Deo.

INSTABIS II. Si non potest odio haberi bonum qua bonum, & amari malum qua malum, tunc peccator odiendo Deum, deberet illum odisse tanquam malum, si odit illum tanquam malum, omnis peccans erit Hæreticus, quia dicere: Deum esse malum, est hæresis.

RESPONDETUR. Dicere Deum malum, adimendo illi bonitatem est hæreticum, sed dicere esse malum, hoc est esse impediens bonum delectabile peccaminosum, non est hæreticum, hoc autem solum fieret in presenti.

OBJICITUR II. Libera est voluntas nostra, Ergo poterit amare malum qua malum.

RESPONDETUR. Ad libertatem solum spectare elicere vel non elicere vel non elicere actum, sed non spectat ad libertatem odium boni.

OBJICITUR III. Potest voluntas odisse malum per nos, non per respectum ad oppositionem bono, Ergo etiam poterit inimico malum appetere, sine respectu ad bonum, quod habet ex malo illius.

RESPONDETUR. Nullum absurdum sequitur & nulla ratio in oppositum, si dicatur Antecedens, dicta autem contra consequens, obstant eidem.

INSTABIS. Si non potest malum qua malum quisquam appetere inimico nisi sub formalitate boni, quod inde percipitur, sequitur odium illud non esse odium sed actum concupiscentiæ.

RESPONDETUR. Spectata malitia, quæ apprehenditur in Persona inimici, non est illic actus concupiscentiæ sed odii, spectato autem malo, quod apparet tanquam bonum, in vindictam, Concedo secundum hunc terminum, esse illic actum concupiscentiæ & prosecutionis.

Attingo rationes quæ ostendunt bonum amari debere non nisi sub ratione finis vel sub ratione medij prout etiam eas sibi opposuit Mastrius.

OBJICIT I. Cajetanus apud Mastrium. Quando intellectus repræsentat bonum, abstrahens à ratione finis vel medij, nihilominus illud bonum à parte rei, & in esse exercito, aut est propter se, aut propter aliud. Ergo & voluntas in actu exercito, non potest habere actum amoris, qui neque sit finis neque medij.

RESPONDETUR. Alia est hæc propositio bonum in actu exercito à parte rei vel est finis vel

medium, & alia hæc, in actu exercito attingendi, vel attingitur ut medium, vel ut finis, prima propositio, conceditur esse vera, forte enim (de quo alias) id bonis, non semper, saltem de se, sed dependenter à prævia notitia, libertateque assumentium competit, sed secunda propositio est falsa. Hinc dicimus, quod quando amat voluntas bonum, amat quod à parte rei vel est finis vel medium in actu exercito. Falsum tamen est, quod in actu exercito attingendi, attingatur illud, non nisi vel sub formalitate finis, vel sub formalitate medij.

INSTAT IDEM. Per nos illud bonum præscindens amabitur non propter aliud negativè, hoc autem sufficit ad rationem finis.

RESPONDETUR. Negando, id sufficere ad rationem finis, cum enim ratio finis sit respectiva, & ratio illa negativa, non sit respectiva, hoc ipsa, non habet rationem finis formaliter, illa ratio amari propter se, negativè. Adde Mastrius, sicut ad rationem medij non sufficit amari propter aliud negativè, imò non stant secum amari negativè & propter aliud, Ergo etiam & ratio finis amari propter se, non erit ratio amari, negativè, ut ita, sicut proportionantur inter se finis & media, ita proportionantur amores.

OBJICITUR II. Auctoritas Aristotelis ex secundo Physicorum 729. 3. Ethicorum capite primo. Primi Ethicorum capite septimo.

RESPONDETUR. Sed in illis locis, amor boni propter se, potest sumi & positivè, sicque competit fini, & negativè, & sic competit amari, etiam ei, quod non est finis. Consequenter omne bonum aut amabitur propter se aut propter aliud, propter se dividendo in positivum & negativum, & hoc amari propter se negativè competit rationibus illis boni, præscindentibus à ratione finis & medij vel propter aliud, & competit mediis.

INSTABIS. Omne bonum aut est honestum aut jucundum, aut utile; si utile, est medium, si jucundum vel honestum, est finis.

RESPONDETUR. In re omne bonum est aut utile aut honestum aut jucundum Concedo, sed hoc non obstat, quominus detur ratio communis boni, ad hæc tria, adeoque ratio appetibilis.

OBJICITUR III. Intellectus assentitur objecto vero, vel propter se & hoc erit principium, vel propter aliud, & hoc erit Conclusio. Ergo & voluntas pariter amabit objectum, vel propter se, vel propter aliud.

RESPONDETUR. Etiam Intellectus interdum versatur circa objectum propter se positivè, & hoc est principium, & propter se negativè, ut cum format simplices apprehensiones veras v. gr. termini hujus Homo: hinc & voluntas poterit amare objectum propter se, & positivè & negativè.

INSTAT. Sunt ista Contradictoria appetere propter se & propter aliud, & etiam si essent contraria, esset tamen ista oppositio immediata & denotaret hoc, aliquam negationem consequenter, nempe non relatè ad aliud, appeti aut saltem ille amor boni, propter se negativè erit actus in individuo indifferens.

RESPONDETUR. Amari propter se & propter aliud non sunt contradictoria, hinc poterit alicui actui, neutra pars convenire. Ex oppositione immediata nihil argui potest, nisi ulterius illa explicetur, quia immediatè opponuntur frigus & calor, nigredo & albedo, & tamen potest aliquid esse nec frigus nec calor, nec nigredo, nec albedo. Et licet quidè supra omnia positiva fundentur negationes aliquæ negativæ, tamen non fundent necessario alias negationes cum autem propter se attingi in præsentia sit formaliter negativa, non erit necesse, ut fundet aliquas negationes, inferentes appeti illud bonum, tanquam finem. Non erit tamen, ille actus, attendens ad rationem boni secundum se, actus indifferens in individuo, erit enim de facto bonus, quia debetè versans circa suum objectum.

OBJICITUR IV. Actus ille erit actus humanus, Ergo necessario debet esse boni ut finis, quia actus humanus, est propter aliquem finem.

RESPONDETUR. Omnem actum esse humanum propter finem non illum relativum ad media, sed propter finem, hoc est motivum & objectum.

OBJICITUR V. Omne bonum ab intellectu representatur vel secundum propriam bonitatem vel secundum alienam. Si primum, est finis, si secundum, ergo est medium.

RESPONDETUR. Actum illum fore propter bonitatem propriam, sed non relatè ad media, adeoque non erit propter finem rigorosè.

DIFFICULTAS II.

De dependentia volitionis à cognitione.

INVESTIGANDO naturam voluntatis, necesse est investigare, etiam causas ejusdem, circa quam difficultatem, præcipuum est, investigare connexionem volitionis cum cognitione.

Punctum Difficultatis I.

An cognitio sit principium effectivum volitionis, & An imperet voluntati Intellectus? &c.

Quoad primum.

ASSERO I. Cognitionem non esse principium effectivè concurrens ad voluntatis actus.

Est assertum Suarii utriusque, Vasquez Ariaga & Oviedo contra Molina, Salas, Fonseca.

RATIO I. est Quia sicut entia, ita & causæ, non sunt multiplicandæ sine necessitate & fundamento, nullum autem est fundamentum, tribuendi concursum effectivum cognitioni, respectu actuum voluntatis.

RATIO II. EST. Quia reliquarum potentialium actus, non principiantur effectivè, ab actu, alius distinctæ potentia. Ergo nec actus voluntatis, principiabuntur ab actu cognitionis.

RATIO III. Quia actus cognitionis si effectivè produceret actum volitionis, deberet se per modum potentia habere, nam efficiens omne, habet se per modum potentia, ad suum effectum. Non potest autè ille actus, habere se, per modum potentia ad actum volitionis; quia vel se haberet per modum potentia permanentis, vel per modum potentia transeuntis. Non primum, quia potentia permanentes, sunt aut identificatæ realiter animæ, aut si sunt ab illa distinctæ realiter, perpetuant tamen cum anima, actus autem ille, est transiens; non etiam ille actus est principium transiens, quia ne multiplicentur principia etiam transeuntia sine necessitate, potius illa efficientia, tribui deberet intellectui, & non intellectioni. Deberetque illa intellectio producens volitionem, potius appellari, & esse ipsamet voluntas. Quia sicut quod producit intellectiorem per modum potentia, si non teneat se ex parte objecti, intellectus vocatur, ita & ille actus, si producit volitionem, debet appellari voluntas.

DICES. PRIMò In oppositum esse paritates quasdam Theologicas.

PRIMA PARITAS. Verbum Divinum est actus intellectus & producit spiritum sanctum, qui est actus voluntatis.

RESPONDETUR. Si hoc sensu dicatur VERBUM Divinum esse actus intellectus, quia est terminus respondens intellectioni paternæ, vera est propositio, sed ex illa nihil sequitur Contra Nos. Si autem dicatur verbum Divinum, esse actum intellectus, qui sit actus secundus intellectiōis paternæ, falsa est propositio, quia verbum non est actus secundus intellectiōis patris, sed terminus ejusdem, præsupponiturque hic actus secundus, tanquam principium Quo, variè per Theologos circumscriptibile.

Deinde non tenet etiam Paritas: quia cum in Divinis, nullæ dentur potentia, physicè & rea-

realiter ab Actu secundo distincta, & tamen dentur producta, bene illorum productio, actibus ipsis secundis tribui poterit, in re; ipsi actus secundi, erunt potentia, & ita volitio divina aequalis, erit ipsamet volitiva seu voluntas divina; Quia autem datur in creatis, distinctio realis volitionis à voluntate, danturque potentia reales, illis etiam tribui debet actus, cum autem actus intellectionis, non sit ipsamet potentia volitiva, fit, ut illi, non possit tribui productio volitionis in genere causæ efficientis. Denique ita Pater communicat naturam Divinam Verbo, ut etiam illi communicet virtualitatem spirandi, qua communicatione virtualitatis spirandi communicata, etiam à verbo spiratur Spiritus sanctus, quia autem intellectus, actui intellectionis, non communicat rationem potentia, imò respectu volitionis, ne quidem ipse intellectus, habet, formaliter rationem potentia, ideo non sequetur, debere ab actu intellectionis creatæ, produci volitionem creatam.

II. PARITAS est gratia excitans prout stat in illuminatione intellectus concurret effectivè ad actum voluntatis. Ergo & in præsentem idem dicendum.

RESPOND. Negando Antecedens, sed vel habitus, vel supplens defectum habitus auxiliū supernaturale, concurret effectivè ad illam volitionem.

DICES II. In oppositum esse paritates aliquas philosophicas.

PRIMA Apprehensio concurret effectivè ad iudicium, præmissa item ad conclusionem. Ergo & intellectus concurret effectivè ad volitionem.

RESPONDETUR negando Antecedens, hæc enim omnia causantur ab intellectu effectivè.

II. PARITAS est. Electio medii pendet effectivè ab intentione, Ergo & volitio à cognitione.

RESPONDETUR negando Antecedens, propriè enim electio pendet potius à voluntate intendente, quam ab ipsa formali intentione.

III. PARITAS est, Intellectus est potentia præstantior quam sit voluntas & nihilominus dependet in cognoscendo à speciebus vel concursu objecti immediato; neque est intellectus se ipso completus in intelligendo Ergo & voluntas, quæ est potentia ignobilior, compleri debet per principium coeffectivum, quod non aliud, est, nisi intellectus.

RESPONDET recentior Suarez. Disparitatem esse, quia cognitio est assimilatio objecti, si est assimilatio, concurrere debet aut objectum, aut ejus vicarium semen, species. Voluntas autem per assimilationem non operatur, consequenter non indigebit concursu ejus, quod vices suppleat objecti. Deinde non est certum ipsas species & objectum coeffectivè propriè concurrere ad notitiam principiandam. Sed posito etiam hoc concursu, non tenebit paritas: quia non concessio etiam concursu effectivo intellectionis ad Actum volitionis bene salvari potest incompletio voluntatis per hoc solum, quia nisi ponatur intellectus, non potest, in actum exire voluntas, ratio-

neque illius prærequisiti, incompleta voluntas erit, & hoc ipsum prædicatum, quod sit voluntas cæca, facit illam non aequalem intellectui, quamvis seipsa sit potens, sine distincto comprincipio, ponere suum actum naturalem.

Salvabitur autem concursus objecti etiam ad volitionem, non eo sensu, quod effectivè concurrat ad illam per cognitionem, sed concurrente terminativè id est terminando volitionem.

DICES III. Omnis causa universalis, ut causet particulare effectum, debet determinari ab alio comprincipio effectivo, ut patet in intellectu, qui determinatur à speciebus, quod etiam comperit sensibus. Sed voluntas est etiam universalis causa. Ergo etiam illa indigebit determinari, hæc autem determinatio non tribuitur alicui alteri, quam intellectioni.

RESPONDETUR. Majorem veram esse de causis necessariis non de liberis, & sic, quia nulla alia causa est libera nisi sola voluntas, fit ut aliæ causæ universales comprincipio indigeant, non tamen illa; quia cum sint indifferentes, & non habeant dominium actionis, necessario non possunt à se determinari, sed aliunde determinari debent. Jam autem causæ liberæ, quamvis sint indifferentes, habent dominium agendi, hinc à se ipsis ad agendum, in circumstantia requisitorum, determinari possunt. Rursus si causæ sint universales, æquivocæ, indigebunt illo determinativo, & quidem coefficienti, quia non esset ratio, producendi hunc talem effectum; & ita, cum sol & homo, generant hominem, non posita generatione activa ab homine profecta, non esset ratio, cur sol prodiret in actum generandi hominis. Quamvis autem intellectus non concurrat effectivè ad productionem volitionis, sed se habeat non nisi per modum necessarij prærequisiti, sufficiens erit ratio producendi actum voluntatis, voluntas, actu intellectus illuminata. Concesso quod per cognitionem specificetur volitio (potius enim specificetur per suum objectum) non esset adhuc necesse, illam cognitionem efficaciter concurrere ad volitionem, quia termini specificant relationem, actus item potentiam, nec tamen ista specificativa, concurrunt effectivè ad id quod specificant.

ASSERO II. Cognitionem influere in volitionem per modum efficientis improprie. RATIO, Quia influit per modum illuminantis, & eo modo, quo præmissa in conclusionem, quam rationem influxus, appellavimus in Logica, efficientiam improprie.

QUOD AD II. Supponendum est Thomistam aliquos, ante volitionem, requirere imperium quoddam intellectus, quod imperet voluntati positionem volitionis, quod imperium, sit æquivalens his terminis; fac hoc; & quidem aliqui censent hoc imperium esse distinctum ab apprehensione, iudicio & discursu, ut hæc resolvatur.

ASSERO I. Si detur imperium, quo imperet intellectus voluntati positionem volitionis, illud imperium necessario debet esse aliqua ex illis tribus operationibus.

RATIO, Quia nulla est cognitio, quæ non sit aliqua ex illis tribus operatio, ut docet Philosophia, beneque illud imperium si detur, revocari poterit ad iudicium.

ASSERO 2. *Non dari tale imperium.* Tum quia tolleretur tunc libertas, quia tolleretur iudicii ad operationem deservientis indifferens propositio, quod ulterius sic proponitur. Illa iudicii determinatione posita, vel potest non operari voluntas, vel non potest non operari, si hoc secundum dicatur, tollitur libertas; Si primum: Ergo non est illic imperium, omnino operare, cum possit non operari. Tum quia si datur illud imperium significabile his terminis, fac hoc omnino, etiam voluntati debet proponi, quod hoc debeat facere omnino, nam nisi hoc proponatur voluntati, non sciet de illo imperio, si autem hoc concedatur: Ergo ante volitionem Objecti delectabilis prohibiti, præcedet assensus, quod debeat illud objectum prohibitum omnino amari, istud autem omnino, quomodo erit omnino, si liberum est voluntati non operari, quomodoque peccabit voluntas, si illi proponitur, omnino hoc faciendum esse.

RESPONDEBIS 1. Quod illud imperium dependenter à voluntate fiat.

CONTRA est. Quia si dependenter à voluntate sit illud imperium, illi ipsi volitioni vel præiit tale imperium ab intellectu factum, vel non præiit, si præiit dabitur processus in infinitum, si non præiit: Ergo nec aliis voluntatis actibus præire debet. Deinde si dependenter à voluntate illud imperium sit, quæro, illo imperio posito, vel potest non operari voluntas, ad quid ergo ponetur, vel non potest non operari: Ergo per illud tolleretur libertas. Denique si illud imperium possit non requiri, sed salvari totum, per meram prælucientiam & illuminationem ponibilem ab ipsamet intellectione, de qua prælucientia quod detur constat, ad quid exigitur illud imperium.

RESPONDEBIS 2. Ideo illud imperium dependenter fieri à voluntate, quia postquam propositum est voluntati objectum, potest voluntas sinere, ut ab illo objecto moveatur, vel non sinere; quod si sinat se moveri ab illo objecto proposito, tunc primum accedit illud efficax imperium.

CONTRA est, quia intellectus non potest scire, quod sinat se voluntas moveri, nisi se moveat voluntas, unde querendum est quando sinat se moveri voluntas, vel se movet suo actu aliquo, vel non se movet actu aliquo, si non se movet actu aliquo, quomodo illud, quod sinat se moveri voluntas, cum non se prodiderit, noscet intellectus, si autem illud sinere prodit aliquo suo actu voluntas, restat querere, ille actus voluntatis vel dependet ab imperio, vel non dependet, si non dependet, nec reliqui dependebunt, si dependet: Ergo concedis processum in infinitum, & ante primum actum voluntatis, concedere debitis alium actum voluntatis, utpote cum concedas etiam ad primum actum voluntatis, imperium intellectus formatum. Rursus posito illo sinere, vel non potest non moveri voluntas, & sic consequentes actus erunt necessarii, adeo-

que nec meritorii formaliter, si autem illo sinere posito, potest non agere voluntas, cui usui illud imperium.

DICES, interrogatus aliquis quare amet. Respondet, quia iudicio esse amandum: Ergo apparet iudicium illud præcedere.

RESPONDETUR. Concedimus quidem, quod illam volitionem præcedat iudicium, sed negamus, quod præcedat per modum imperii efficacis.

Punctum Difficultatis 2.

Qualis notitia sit necessaria ad actum voluntatis rationalis?

PROCEDIT difficultas de eo, an prælucente sola cognitione sensitiva, possit subsequi appetitio spiritalis & rationalis, universaliterque qualis requiratur cognitio, ad volitionem ponendam.

ASSERO 1. *Etiā ex simplici apprehensione sequi potest volitio; Ratio:* Quia apprehensio sensitiva quā talis, stat sola apprehensione, & tamen illam apprehensionem, sequitur appetitio sensitiva: Ergo & apprehensionem rationalem, poterit sequi appetitio rationalis; & certē multi motus primò primi videntur non habere aliud, quā simplicem apprehensionem, sibi prælucentem.

ASSERO 2. *Ad hoc ut voluntas modo perfectionis operetur, indiget iudicio,* quod decernat de possibilitate finis, mediorum, connexionum cum fine.

RATIO; quia hæc omnia ad iudicium spectant, & quibus non nisi politis, prudentes censentur homines, & ex iudicio adeoque perfecte egisse; Expresse etiam docet Amicus quod ad liberum motum, non sufficiat cognoscere objectum, sed necessarium est cognoscere utramque partem, comparareque inter se, quæ comparatio ad iudicium spectat.

Difficilius est determinare, an cognitionem solum sensitivam seu phantasia, sequi possit volitio, & quidem non est tantum dubium, an possit sequi volitio meritoria vel demeritoria, eo quod ad meritum, non pauci requirant considerationem honestatis vel inhonestatis objecti, quā talem, cum tamē ad honestatem, non pertingat cognitio sensitiva; sed Major est difficultas: An possit quæcunque alia volitio sequi. Negat uterque Suarez præcipue recentior, Tractatu 2. de Causis disp. 8. Sect. 3. Valquez, Cajetanus & alii. Affirmat Amicus Tomo 3. disp. 5. Sect. 2.

Expendenda sunt Rationes utriusque partis.

Affirmative partis

Prima RATIO est, Auctoritas S. Thomæ, qui in 1^a 2^aæ quæst. 10. art. 3. ad 3. docet voluntatem moveri, non solum à bono universali apprehenso per rationem, sed etiam à bono apprehenso per sensum.

RESPONDETUR. Sanctum Thomam hoc solum velle, quod voluntas non tantum bonum universale & spirituale amare possit, sed etiam bonum parti-

particulare, & sensibus subiectum, nō dicitur autē quod voluntas à sola notitia sensitiva moveatur.

Secunda RATIO est, impediatur Deus omnem cognitionem intellectualem de bono sensibili, & maneat sola cognitio sensus, tunc poterit moveri voluntas à bono, sola cognitione sensitiva apprehensa, nam accedens illi cognitio intellectualis, non variat priorem notitiam sensitivam.

RESPONDETUR, accessu notitiæ intellectualis, non variari quidem notitiam sensitivam, sed negō illam sufficientem esse, vel illuminantem appetitum intellectualem; consequenter negabitur, sola notitia sensitiva posita, moveri voluntatem.

Tertia RATIO est, quam urget Amicus loco citato, Bonū sensu apprehensum, est intra sphaeram potentiae volitivæ, objectum enim voluntatis est bonum cognitum: Ergo quacūq; cognitione fiat cognitum, ponitur intra sphaeram voluntatis, præcipue quia cognitio est tantum conditio approximans objectum. Ergo quodcūq; tandem principium cognoscitivum; illud objectum approximet, potest circa illud versari voluntas.

RESPONDERI potest, Bonum cognitione sensitiva apprehensum, esse intra sphaeram potentiae volitivæ, remotè, quia est id, quod potest velle voluntas, sed non est proximè intra sphaeram volitivæ, ob defectum modi proponendi. Illa autē propositio, quod voluntatis objectum sit bonum cognitum, si supponat cognitum quacūq; cognitione, petetur principium, hocque ipsum probandum erit. Nec obstat quod cognitio sit tantum conditio approximans objectum, neque enim ista approximatio debet esse materialis, qua ratione, perinde est, si ignem appropinquet Angelus, vel homo, vel brutum, sed debet esse approximatio formalis, adeoque proportionata volitivæ potentiae; quam proportionem servari inter cognitionem sensitivam & volitionem intellectualem non probat ratio adlata, & sicut notitia ab alio formata si in Petro poneretur, non excitaret illum ad appetendum, quia non habent inter se proportionem dependentiæ ab eodem principio, ita & notitia sensitiva, non excitabit volitionem spirituales, propter improportionem in gradu Entis.

INSTAT Amicus: quod movet voluntatem ad operandum non est cognitio, sed bonum cognitione repræsentatum, eademque est bonitas delectabilis, à sensu proposita, & proposita à cognitione intellectuali. Ergo sub utraq; formalitate movere poterit.

RESPONDETUR. Quod movet voluntatem ad operandum, est bonum cognitum; sed cognitione proportionata, qualem proportionem, non ostenditur dari inter notitiam sensitivam, & volitionem spirituales.

Quarta RATIO est. Per hanc doctrinam melius salvatur continua pugna inter partem superiorem & inferiorem, de qua ad Rom. 7.

RESPONDETUR. Illorum verborum potest esse hic sensus, quod bonum delectabile moveat sensum, quem motum prohibet voluntas superior, illuminata intellectiones spirituales, habita de Objecto sensibili.

Quinta RATIO est. Potest phantasma materiale concurrere cum intellectu agente licet hic spiritualis. Ergo etiam poterit cognitio sensitiva concurrere, cum voluntate.

RESPONDETUR. Per nos Antecedens est falsum, posita illius veritate disparitas difficile assignatur. Si enim disparitatem esse dicas, quia ponitur adhuc proportionatum principium ponendæ speciei impressæ spiritualis, ipse intellectus agens, hic autem non ponitur alia notitia proportionata volitioni spirituali, sed sola sensitiva.

Urgeri potest. Poni scilicet proportionatum principium ipsam voluntatem: Si dicas disparitatem esse, quia habet intellectus vim elevandi phantasma materiale, in his principiis, ad ponendam speciem impressam spirituales. Sed urgerent oppositi. Cur non habeat voluntas vim elevandi notitiam sensitivam.

DICES. Disparitatem esse. Quia nisi concedatur concursus hic phantasmati materiali, ad fabricandam speciem impressam spirituales, non erit sufficiens ratio, quare determinetur Intellectus agens ad fabricandam hanc potius speciem spirituales impressam; potest autem ostendi, per quid compleatur voluntas, ut hoc potius, quam illud objectum amet, nempe notitia; sed redit difficultas, cur compleri non possit, per cognitionem materiale, cum similis completio concedatur phantasmati materiali, ideo standum potius erit negationi Antecedentis.

Partis negativæ

Primum Argumentum est, cuius etiam meminit recentior Suarez citatus. Ad causam finalem requiritur cognitio, quæ attingat convenientiā & proportionem mediorum cum fine, sed cognitio sensitiva, non attingit istam habitudinem. Ergo.

RESPONDETUR. Quod aliquis quidem actus voluntatis requirat prædictam cognitionem proportionis, sed non omnis, cur ergo saltem ille, non erit contentus cognitione sensitiva.

Secundum Argumentum ejusdem est: Voluntas cum sit essentialiter appetitus rationalis, non potest moveri, nisi à cognitione rationali, adeoque ab intellectione.

RESPONDETUR. In Antecedente peti principium, dicerentq; oppositi appetitum hunc appellari rationale, nō ratione prælucentis notitiæ rationalis & spiritualis, sed ratione suæ Entitatis spiritualis, adeoque Entitatis rationalis, prout rationale opponitur materiali. His expensis

ASSERO 3. A cognitione sensitiva, non posse connaturaliter moveri voluntatem, posse supernaturaliter.

†(S) 4

RATIO

RATIO primæ partis asserti est: Quia connaturaliter appetitui rationali, respondet potentia rationalis cognoscitiva, hinc dicunt connexionem naturalem inesse, & ea intentione ab Actore naturæ dantur. Ergo etiam dicunt connaturalem connexionem in operando; Rursus representatio sensibilis objecti, est ita improporcionata potentia spirituali, sicut dulce repræsentatum potentia visiva, non sub ratione colorati; Non minus enim distant gustabile à visivo, sicut sensibilibiter propositum, ab appetitivo spirituali & rationali. Denique cum ex una parte videamus objectum sensibile posse intellectualiter proponi voluntati, voluntatemque ipsam appellamus potentiam volitivam intellectualem, & ex altera parte natura quæ paucis contenta est, & non facit per plura, quod potest facere per pauciora, supponendum est determinasse illam, ut volitiva rationalis, connaturaliter non nisi à principio intellectivo moveri possit. Et sicut in sententia istorum, qui censent phantasma materiale concurrere ad productionem speciei impressæ, dicunt id fieri per elevationem, qua elevatur illud phantasma ab intellectu agente, sic in consimili hic, tribui deberet elevatio cognitionis sensitivæ, ut moveat volitivam intellectualem, quam elevationem à natura intendi, non est probabile, si supersit aliud, quod non elevatum, ad idem præstandum, concurrere possit.

RATIO secundæ partis asserti est: Quia hoc non implicat contradictionem. Deinde tota ratio, cur id etiam naturaliter fieri non possit nulla alia adferri potest, nisi quia connaturalis est à proportionata cognitione moveri appetitum, cum tamen contra inclinationes naturales, possit procedere Deus.

DICES. Nequit intellectus cognoscere objectum sensibile, media cognitione sensitiva, etiam divinitus. Ergo nec voluntas illud velle.

RESPONDETUR. Negando consequentiam, quia cognitio debet esse actus vitalis, ut supra dictum, consequenter debet proficisci non nisi à principio, à quo dependet connaturaliter, sensatio autem, non dependet connaturaliter ab intellectu. Quia autem tota vitalitas cognitionis adhuc salvari posset, quamvis ferretur voluntas in objectum cognitione sensitiva propositum, ideo non repugnat divinitus ita operari voluntatem.

Punctum Difficultatis 3.

An voluntas possit ferri in incognitum.

ASSERO primò. *Non posse connaturaliter.*
RATIO. Tum quia axiomatis loco habetur, nihil volitum nisi cognitum. Tum quia id ordo naturæ postulat, nam ea intentione da-

tur intellectus ab Auctore naturæ, ut illuminet voluntatem, nec esse ratio, cur ex non movente se, ad hoc objectum, transeat ad se movens ad hoc objectum, si non sit sufficiens mutatio, & hæc non apparet quod alia possit esse, quam propositio objecti: Tum quia experimur nunquam nos velle aliquid, quod non cognoscimus, quis enim vult illud pomum, quod crevit hodie in horto Indico, de quo nullam cognitionem habet, & sicut quia experimur nunquam frigefacere calorem, inferimus, non posse connaturaliter illum nisi calefacere, ita quia nunquam experimur voluntatem ferri in incognitum, bene inferemus id non posse fieri connaturaliter.

ASSERO 2dò. *Non adferri ullam positivam contradictionem, quod non possit voluntas ferri in incognitum.* Conantur eam adferre Vafq. & Amicus Tom. 3. disp. 5. Sat. 1. Ariaga hic, & recentior Suar. in Phys. tr. 2. disp. 8. sect. 4. Affirmativam autem sententiam nempe quod possit ferri in incognitum docent Conimbricenses Grando & Oviedo. Examinandæ sunt implicantiæ, harum enim solutio, est Ratio asserti.

Implicantia recensentur.

IMPLICANTIA I. Est, quam adfert recentior Suarez. Voluntas est potentia cæca. Ergo non potest tendere in incognitum, aliàs se exponeret periculo amplectendi bonum, pro malo.

RESPONDETUR. Consequens esse verum, quod voluntas non possit tendere in incognitum naturaliter loquendo, licet possit divinitus. Rursus non apparet implicantiæ, cur non possit voluntas se exponere periculo errandi. Denique posset aliunde huic periculo occurrere, determinante scilicet Deo, ut bonum quamvis incognitum, amet, oderitque malum, quamvis incognitum.

IMPLICANTIA II. Est, quam adfert Amicus & supponit imprimis auctoritatem Aristotelis ex 3. de Anima textu 54. Ubi docet appetibile non movere appetitum, nisi ut intellectum & imaginatum, quod alii exprimunt: Objectum voluntatis esse bonum apparens, quam etiam doctrinam supponit Augustin. 10. de Trin. c. 1. quo supposito sic format implicantiæ. Proprius modus operandi potentia appetitiva, est, ut seipsam ad objectum moveat, ab ipso objecto mota vitaliter, sed hæc motio non potest fieri etiam divinitus, nisi media cognitione, eo quod nullum objectum moveat vitaliter potentiam, nisi sit intra ipsum appetentem expressum. Ergo etiam divinitus non potest ferri voluntas nisi in incognitum. Major probatur, quia per hoc essentialiter appetitus vitalis discriminatur à naturali, quod vitalis non se moveat, nisi motus & illectus ab objecto, naturalis verò moveatur, etiam non motus ab objecto.

RESPON-

RESPONDETUR. Multa hic esse, quæ non demonstrantur, Major dici potest vera, si conaturaliter agat voluntas, non verò si agat supernaturaliter. Rursus non demonstratur, ex alato solum principio, distinguere appetitum naturalem à vitali, possunt enim condistingui etiam aliunde; quia scilicet innatus & naturalis, non deposcit præcognitum, etiam in statu conaturali, secus appetitus vitalis. Rursus non demonstratur, esse impossibilis voluntas, quæ non nisi determinata à DEO agere possit, adeoque quæ non indigeat immediatè moveri ab objectis, per quod illa voluntas assimilaretur appetitui Naturali, dissimilaretur autem eidem appetitui, per hoc, quia posset principiare spirituales volitiones, tendentesque etiam in insensibilia. Rursus non demonstratur antecedenter ad volitionem, ab aliquo præexigito, qualis est Propositio objecti debere voluntatem non nisi vitaliter moveri, quid enim implicat qualitas, quæ habeat hunc effectum in ordine ad complendam voluntatem, quem habet cognitio, certè per multos prædeterminatio est qualitas inanimis & tamen potest determinare voluntatem. Ad do aliud esse vitaliter moveri potentiam suo actu, & aliud moveri per aliquid vitale. Concedo quod si DEUS per se ipsum immediatè vel per qualitatem superadditam determinaret voluntatem, non moveret per aliquid vitale, sed negotio illa determinatione & completionem posita, non posse se ab intrinseco movere voluntatem, adeoque vitaliter. Neque valet quod inferius subdit de ratione actus volitionis esse ut sit voluntarius & spontaneus, certè enim actus amoris beatifici, est actus voluntatis, & tamen non fit spontaneè sed necessariò, quod etiam contingit in moribus primò primis. Suppositum illud quod adfertur doctrina Aristotelis, procedit non nisi de statu conaturali.

INSTAT Idem Auctor. Intellectus iudicium ferre non potest de objecto non apprehenso, Ergo volitionem eliciet voluntas, de objecto incognito.

RESPONDETUR. Imprimis, non demonstratur Antecedens, cur scilicet prædictam apprehensionem supplere non possit concursus & determinatio ad immediatè eliciendum iudicium & si quæ pro Antecedenti adferatur Implicantia, ea procedet de apprehensione, in quantum identificata realiter ipsi iudicio, quia verò cognitio non identificatur realiter volitioni, fit, ut ex hoc titulo, non impediatur, quo minus possit esse volitio, sine cognitione.

III. IMPLICANTIA est, qua utitur Arriaga & est deducta à variis paritatibus.

PRIMA PARITAS est. Non potest amari malum, si proponatur ab intellectu ut malum. Ergo voluntas non potest ferri etiam in incognitum.

RESPONDETUR. Quid sit sentiendum de Antecedente, dictum supra. Disparitas etiam

adferri potest; Quia non est, quod suppleat rationem formalem quam intendit actus prosecutionis, nempe quod suppleat tunc rationem boni quam nata est prosequi voluntas; Jam autem haberi potest quod suppleat defectum & cognitionis, quæ nata est præcedere volitionem, & hoc suppletivum, erit aliqua determinatio divina

II. PARITAS. Non potest appetitus naturalis ferri ad rem non habentem in se bonitatem. Ergo nec volitio potest ferri ad objectum, non habens esse per intellectum, id est, quod non est cognitum.

RESPONDETUR. Disparitatem eandem adferendo, quæ data immediatè.

III. PARITAS est, res non existens, nec divinitus operari. Ergo nec incognitum amari, quia quod in physicis est existentia physica ad producendum, hoc in objecto voluntatis, est existentia per cognitionem.

RESPONDETUR. Peti principium, negatur enim requiri ad volitionem existentiam objecti per cognitionem. Disparitas adferri potest, quia si causa non existens causaret, hoc ipso existeret, esset enim causans, adeoque non esset nihil, Jam autem non hoc ipso, quia voluntas velle, cognoscere deberet, cum in ipso velle, non includatur cognoscere, sicut in Ly esse causans, includitur, non esse nihil, adeoque existens.

IV. PARITAS Adferri posset. Spiritus Sanctus qui est Amor divinus, non potest procedere sine prævia cognitione. Ergo nec volitio creata. Antecedens probatur, quia de facto ita procedit. Ergo impossibile est ut aliter procedat.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, imprimis, quia non licet argumentari à modo actuum & professionum divinarum, ad actus creatos, alias deberent actus nostri esse substantia, & iidem licet personarum distinctarum realiter &c. similia. Tū quia, Nostra voluntas, naturaliter non potest agere sine Cognitione, consequenter nec divina agere potest sine Cognitione, & quia respectu nostri datur aliquod elevativum, & extrinsecum determinativum, ad actionem internam ponendam, fit ut supernaturaliter velle possimus, sine ulla cognitione, quia autem respectu DEI, nullum datur Principium elevativum, aut determinativum extrinsecum ad ponendam processionem internam, fit ut processio spiritus sancti, non possit esse sine prævia cognitione. Tū quia, si fieret processio spiritus sancti sine prævia cognitione, hoc ipso deficeret principium spiritus sancti productivum, nempe filius qui in electione originatur, & est ipse, intellectio passiva & personalis. Cum autem principium volitionis productivum non sit cognitio, habebitur adhuc principium, si cetera ad sint productivum illius volitionis poteritque esse volitio sine cognitione.

V. PARITAS. Non potest aliquid etiam divinitus videri oculariter sine lumine, Ergo ne potest esse volitio sine cognitione.

RESPONDETUR. Non probari Antecedens demonstrativè, & si probaretur, deberet assumi hoc principium, quod scilicet visio, sit actus perspicui, implicat autè esse perspicuum sine lumine, hoc enim se consequuntur, identificanturque sibi perspicuum & illuminativum; scilicet habens lumen. Quia autem non identificantur sibi cognitio & volitio, fit ut sine se, esse possint, saltè divinitus.

Alia

Alia Implicantia.

MAstrius negat voluntatem etiam divinitus posse ferri in incognitum ut videre est hic disp. 7. Num. 120. ex quo desumitur.

IMPLICANTIA IV. Cognitio est necessaria voluntati, ut ea mediante, fiat ei objectum præsens. Cum ergo nulla potentia vitalis, sine Objecto sufficienter præsenti, valeat operari, nec poterit voluntas operari. Facit autem objectum sufficienter præsens voluntati, Cognitio.

RESPONDETUR. Non implicat ut potentia vitalis sine Objecto sufficienter præsenti operetur, sufficitque ut objectum habeat se terminativè ad actum, ad rationem autem actus terminandi, non est necessaria præsentia, quia nec existentia. Quando autem dicit Mastrius, quod appetitiva respondeat Cognitiva, & quod id sit, non ex decreto DEI, sed ex indigentia orta ex Natura rei; id etiam non convincit. Quia concedo quidem juxta legem Naturæ, non posse esse volitum sine cognito, idque ex indigentia orta ex Natura rei, sed nego hanc indigentiam esse insupplebilem & indispensabilem.

IMPLICANTIA V. Ex eodem est. Non potest dari potentia volitiva & non intellectiva, ergo neque potest dari volitio sine cognitione, qui enim esset ordo in essendo, debet esse & in operando.

RESPONDETUR. Supposito quod sit implicantia in antecedenti disparitas hæc inter alia dari potest. Quia si daretur volitiva sive intellectiva, deberet deponere determinativum sui consimile, ac concedi deberet determinativum. Ut volitio fiat sine cognitione; nisi enim hoc determinativum ponatur, non erit ratio, cur hoc potius velit illa volitio, quam illud, debet ergo illa volitiva exigere illud determinativum, omne enim principium, exigit necessaria sua ad operandum, si autem illa volitiva, quæ non est intellectiva, deponeret aliud determinativum, tunc illa volitiva substantia & non intellectiva, & non esset supernaturalis quoad substantiam ut supponitur, & esset supernaturalis quoad substantiam, quia secundum conditionem suæ substantiæ, deponeret illud determinativum, quod tamen determinativum, supponitur esse quid supernaturale, quæ autem substantia deponit aliquod supernaturale, hoc ipso illa Natura seu substantia supernaturalis est.

INSTAT. Posita volitiva sine præcognito, & posito, quod volitio illa imperet, actiones aliarum potentiarum, tunc ejusmodi actiones, deterioris essent sortis, quam brutales: quia fierent & exercerentur modo cæco.

RESPONDETUR pluribus viis. Imprimis si quid evincit Instantia detur illi, quod illa volitio, non posset imperare actus aliarum potentiarum, ne sint illæ deteriores actionibus bruto-

rum. Rursus negatur, quod talis operatio, foret deterior operatione bruti: Nam imprimis licet illi volitioni non præluceret cognitio, posset fieri, quod ipsi illi operationi imperaret, præluceret, vel si non requireretur hoc, ex eo adhuc non esset deterior operatione bruti, quia secundum Entitativam suam dignitatem, quam accipit ab ipso principio, illam producente, quod principium est in Entitate ut supponitur nobilius, excederet adhuc operationem bruti, licet in aliquo prædicato, esset inferior. Et sicut Lynceus oculus, perfectius videt, & tamen visio quam operatur v. gr. Petrus, quoad aliquam perfectior est, utpote profecta à potentia nobiliori humana, ita & in præsenti idem dicendum.

Fundamenta Affirmantium.

ASSERO III. Nullum dari fundamentum positivum, quod demonstrativè probet, posse dari volitionem sine Cognitione.

RATIO ASSERTI pendet ex solutione argumentorum in oppositum.

PRIMUM ARGUMENTUM est, quo utitur Ovidio, voluntas pendet à cognitione tanquam à Conditione, jam autem Conditionis defectum, supplere potest DEUS.

RESPONDETUR. Non omnem Conditionem posse à DEO suppleri, quia approximatio partium unibilium, est sola conditio, ut ponatur unio & compositum, & tamen hanc conditionem, non potest DEUS supplere, non possunt enim dissita inter se, uniri, extrema compositiva, per multos etiam existentia causæ, est conditio ad operandum, & tamen hæc conditio, suppleri non potest. Non ergo præcisè ex hoc titulo, quia cognitio est conditio, sequetur posse illam suppleri, & sicut, tu dicis esse cognitionem esse conditionem supplebilem, ita & oppositi dicent esse insupplebilem, deberesque positivo argumento firmare, cognitionem esse conditionem insupplebilem.

ARGUMENTUM II. EST, quando concurrat habitus cum voluntate ad actum amoris, non est necesse, ut habitus sit cognoscitivus. Ergo etiam quando voluntas concurret cum omnipotentia, non erit etiam necesse ut habitus sit cognoscitivus.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam, quia cum certum sit aliunde, habitum esse qualitatem inanimem, etiam si constet illum requiri, bene inferetur, non debere esse cognoscitivum, hinc ab eo quod operatur naturaliter non cognoscendo, non valebit, consequentia ad potentiam, quam constat, saltem naturaliter operari non posse sine cognitione, quia autem ipsa cognitio, est cognoscitiva ut Quo, aliundeque ceteris esse requisita naturaliter ad volitionem, adferre deberes positivum argumentum probans, in-

actu extraordinario, illam non requiri. Et certe minor est connexio habitus, cum actu amoris, quam cognitionis cum volitione, potest enim esse amor naturaliter, sine ullo habitu, non potest esse volitio sine cognitione, & tunc dum probas connexionem hanc cum cognitione, non esse indispensabilem.

ARGUMENTUM III. Est ejusdem Oviedo. Qualitas quæ est volitio, potest uniri lapidi. Ergo eodem modo potest eam DEUS infundere voluntati.

RESPONDETUR. Non de hoc quaestione esse, an possit in aliquo subiecto, aliunde translata, fieri volitio, non transferendo cognitionem, sed de hoc; An possit esse volitio, in eodem subiecto, quam, non præcedat Cognitionem, unde quia adhuc illam volitionem, à Petro formatam, & divinis positam in Paulo, præcessisset cognitio Petri, adhuc non esset volitum incognitum, adeoque adhuc hoc fieri posset: Cuius oppositum contingeret, si esset volitio sine cognitione.

Deinde, quia non est bona argumentatio à Causa materiali seu subiectiva, quæ quia talis, nullam cognitionem requirit, ut instantiis probatur, ad Causam efficientem qualis est voluntas, quæ in suo efficere, quod non sit alligata essentialiter dependentiæ à cognitione, nullum positivum adfers fundamentum. Rursus naturaliter potest recipi aliquid in voluntate, quin receptum cognoscat voluntas, & sic non cognoscit habitus, quos recipit, & similia, è contra autem nihil vult voluntas nisi cognoscat. Da ergo positivum fundamentum, quod non sit indispensabilis ordo, secundum quem cognitio, præcedat volitionem.

ARGUMENTUM IV. Est. Potest Conservari volitio sine cognitione. Ergo, & produci.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum, potest conservari effectus & quidem naturaliter, sine Causa, Ergo & produci sine existentia Causæ. Et certe dantur aliqua Entia, quæ ad primam productionem exigunt plura, quam ad sui conservationem, & ita aqua, non calefit, nisi admoveatur ignis, quo tamen amoto, conservatur calor. Deinde conservata volitione, non conservata cognitione, adhuc salvatur Axioma; Nihil volitum nisi cognitum; quod Axioma non salvatur, si primo producat volitio, sine cognitione.

ARGUMENTUM V. Est à Pari.

PRIMA PARITAS est. Potest DEUS elevare voluntatem ad producendam gratiam sine prævia cognitione, Ergo & ad producendam volitionem.

RESPONDETUR; Quia illo priori posito, nullum convellitur principium philosophicum, ideo bene admitti potest, convellitur autem si dicatur, volitionem esse sine cognito; Deinde cum nec vitaliter, nulloque modo naturaliter producat gratia, non habetur ullum funda-

mentum, nexus inter cognitionem & productionem gratiæ; Quia autem vitaliter produci- tur volitio, danturque nexus naturalis inter volitionem & cognitionem, hinc nisi in oppositum adferatur, experientia, auctoritas, vel positivum fundamentum, standum est, non posse fieri oppositum, etiam divinitus.

Hæc responsio ad omnes ferme alias Objectiones præ oculis habenda, quæ sic proponitur. Scientiæ nostræ omnes incipiunt à sensibus, paulatimque devolvuntur ad rationes altiores, & abstractas, & quod in externis est notitia sensuum, hoc in internis, est ipsamet experientia; sicut ergo in istis quæ experimur sensibus, quando auctoritas in oppositum non accedit vel ratio convincens, dicimus, non posse aliquid etiam divinitus fieri, & ita quia experimur radium solarem esse lucidum, dicimus radium solarem nè divinitus quidem posse non lucidum quia experimur colorem rubrum talem habere colorem, inferimus, nè divinitus quidem, posse habere non talem colorem & sic de reliquis, quæ omnia stabiliunt hanc Propositionem. Quæ experimur sensibus, si oppositum auctoritas vel ratio non prober, accedatque ad hoc insuper sensus communis Auctorum, illud nè divinitus quidem fieri posse putandum est. Cum autem experientia interna, æqualeat experientie sensuum, experiamurque nos nihil velle, nisi Cognitum, arguendum erit, etiam divinitus hoc non posse fieri, nisi auctoritas, vel ratio positiva oppositum luadeat, & si hæc regula non teneatur, dabitur anfa errandi in omnibus Materiis, negandi v. gr. quod figura & quantitas sit idem, Ens & Entitas &c. similia.

II. PARITAS Est. Potest objectum videri, & non præsens, Ergo & appeti, non præsens per cognitionem.

RESPONDETUR, Disparitatem esse quia absentiam objecti, potest supplere species impressa, & ipsamet species expressa, defectum autem cognitionis, non apparere quid supplere possit, salvans illud Axioma, Nihil volitum nisi cognitum.

III. PARITAS, est, suum actum vult voluntas, non prævia cognitione, Ergo & alia objecta velle potest, sine prævia cognitione.

RESPONDET. Amicus, sicut vult non nisi implicite suum actum voluntas sic & cognitio illi, ut est implicita, quæ scilicet dum proponitur objectum appetendum, proponitur implicititer appetitio actus tanquam via ad Objectum. Deinde dici potest quod antecedenter ad volitionem non velit distincte suum actum voluntas, sed non nisi confusè, hinc fit ut non nisi etiam confusè illum cognoscat, Quando autem dum illum exercet, actu reflexo eundem vult, intercedit tunc cognitio experimentalis ipsiusmet actus volitionis, fundans illam reflexam volitionem.

INSTABIS. Potest voluntas delectari de cognitione directa, non cognita per aliam reflexam, Ergo & de quocunque objecto, non cognito.

RESPONDETUR. Antecedens esse verum;

quia adhuc salvatur, quod non sit quidquam volitum, nisi cognitum ut experitur, per notitiam experimentalem, ipse volens, suam volitionem; hoc autem non salvaretur, si sine prævia intellectione, veller aliquid voluntas.

DISPUTATIO VI.

De Actibus voluntatis in particulari.

HÆc Materia multas habet difficultates, quæ hic non possunt expediti, sed reliqua in Prima Secundæ tractantur, quanquam & hæ ipsæ, quæ hic adferentur, à non paucis tractantur dicto loco.

QUÆSTIO I.

De Intentione & Electione.

PRÆMITTO I. Post propositum objectum voluntati, primus est actus inefficax, seu Complacentia, quem postea subsequitur actus efficax seu amor. Hic amor, attingit non restrictam aliquam rationem bonitatis, nam reliqui omnes actus prosecutionis ad restrictum bonum attendunt v. gr. desiderium ad bonitatem restrictam futuritione, & quia restricta sunt magis universalia, & universaliora, sint cæteris priora, sit, ut adest ille voluntatis, qui est amor, sit prior reliquis actibus prosecutionis. Et certe sicut actus reflexi, fundantur in directo, sic & actus alii prosecutionis, in amore, cum pro ratione reliquorum actuum prosecutionis reddi possit ipse amor. Et sic desideramus quia amamus, gaudemus quia amamus &c. similia. Amorem immediate sequitur desiderium, quod est Causa, ut potentia, moveatur ad bonum, & est instrumentum boni, volentis trahere voluntatem, & hoc quidem desiderium, in quantum attingit finem, vocatur Intentio, in quantum attingit media, vocatur Electio.

PRÆMITTO II. Casu quo proponatur solum bonum ab intellectu, mereaturque amorem à voluntate elicitum, si non proponantur simul media, dupliciter se posse habere voluntatem. I. Ut ex vi illius desiderii & illius actus, quem pro tunc habet, parata sit eligere media, si sibi ab intellectu proponantur & tale desiderium appellari potest, non quidem formalis, virtualis tamen Intentio; vi enim illius actus, paratus est volens, exire in ulteriorem actum, qui constituat formalem Intentionem, censetur enim Intentio in illo actu inclusa, tanquam in Causa, adeoque virtualiter.

II. Potest ita se habere voluntas respectu Objecti, ut vi illius desiderii, quod tunc habet, non sit parata procedere ad inquisitionem mediorum; & tale desiderium, nec formalis, nec virtualis intentio appellari potest.

PRÆMITTO III. Dari posse aliquem actum voluntatis, qui sit Intentio Objecti obtinendi, ut etiam advenit Oviedo, & tamen sit sine ulla inquisitione mediorum.

RATIO. Quia fieri potest, ut aliquis moveatur honestate actus eliciendi, circa bonum honestum, quo casu, finis erit elicere actum illum, ad quem tamen finem obtinendum, non est necesse querere media, quia ille actus, immediate supponitur esse in potestate elicientis. Rursus fieri potest ut aliquis pro fine habeat ipsam intentionem eliciendam, sed ad intentionem eliciendam, non est necesse habere media, quia hæc non antecedunt sed subsequuntur Intentionem, vocari autem illum actum posse intentionem, inter alia ex eo docet Oviedo, quia scilicet inquireret media, si essent necessaria.

PRÆMITTO IV. Intentionem in vi intentionis non constitui connotatione mediorum formalis. Hoc præmissum, supponit possibile esse, ut distincto actu finis appetatur, distincto media, adeoque quod sit distinctus actus intentio, & electio, supponit rursus, posito illo priori actu, posse DEUM denegare concursum ad electionem. His duobus positis:

RATIO. Præmissi formatur. Ille actus prior vel est intentio, vel non, si non est intentio, nec accessu alius actus, erit intentio, quia alio actu accedente, simpliciter jam prior ille desinit, si ergo non fuit intentio antequam desineret, neque erit intentio postquam desit; si autem intentio, est intentio antequam accedat electio, Ergo intentio quæ talis, non constituitur, ex vi formalis electionis, nec ex vi formalis connotationis mediorum.

RESPONDEBIS I. Ex accidenti hoc esse, quod illic non sequatur electio, per se autem se qui deberet.

CON.